

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Meditationum evangelicarum pars secunda, hoc est:  
Solida, ad discendam & exercendam, ex evangeliis tam  
dominicalibus quam festivalibus Christi & sui-ipsius  
notitiam, informatio**

**Creide, Hartmann**

**Francofurti ad Moenum, 1682**

In festo die B. Andreae apostoli

[urn:nbn:de:bsz:31-126164](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-126164)

## In festo die B. Andreæ Apostoli.

Evangelium Matth. 4. 7. 18. --- 22.

## EXORDIUM.

**C**Um filii Prophetarum exiissent ligna cedere ad Jordanem, ut ædificarent sibi ibi locum ad habitandum: accidit, ut cum unus materiam succidisset, caderet ferrum securis in aquam: exclamavitq; ille, & ait: heu, heu, heu, Domine mi, & hoc ipsum mutuo acceperam, Dixit autem homo Dei: ubi cecidit? At ille monstravit illi locum: præcidit ergo lignum & misit illuc: natavitq; ferrum, 2. Reg. 6. v. 1.

*Hæc allegoricè interpretabimur.*

Nos miseri homunciones per tristem Protoplastorum lapsum omnes ad fundum perveneramus *instar ferri & chalybis*, & in limo æternæ damnationis nobis pereundum fuisset: Sed cœlestis Elisæus Servator noster Jesus Christus, nostri misertus, per sanctissimam incarnationem suam, ultrò in ærumnosos infirmitatum nostrarum fluctus se demersit: ut inde resurgere, & in libertatem filiorum Dei pervenire possimus. Si enim filius vos liberaverit, verè liberi estis, Joh. 8. v. 36.

Hæc *vocatio generalis* est, quæ omnibus hominibus contigit. Christus enim pro omnibus mortuus est, 1. Cor. 15. v. 22. & viam ad cœlum aperuit, ut quilibet in illud intrare, & donis gratiæ partis frui possit, Psal. 16. v. 11. sed plurimi hoc seculum diligunt, ut Demas, 2. Tim. 4. v. 10. & insuper habent hanc vocationem, sicut ingrati hospites in Evangelio, Luc. 14. v. 17. ideo ratione eorum locum habet illud: Ex te perditio tua Israel, Os. 13. v. 9.

Juxta hanc generalem verò & *specialis vocatio* est, ubi Christus in omnibus tribus Hierarchiis munia sua distribuit. In *ecclesia* quosdam dedit Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Evangelistas, alios autem pastores & doctores, ad præparationem sanctorum in opus ministerii, Ephes. 4. v. 11.

Sic etiam in manu Dei potestas terræ, & utilem rectorem suscitabit in tempus super illam, Sirac. 10. v. 4. 5.

In *statu quoque œconomico* diversi gradus occurrunt, Abraham Dominus, Sara Domina, Hagar ancilla est, Isaac filius frugi, Ismael verò degener, Gen. 21. v. 1. 9. Hæc omnia Deus ordinat, prout vult, 1. Cor. 12. v. 11. & multos ad dignitates evehit, qui ante sprete & abjecti fuerunt, ut exempla Josephi, Gen. 41. v. 40. Davidis, 1. Sam. 16. 13. Esther, Esth. 2. v. 17. aliorumq; probat.

Præsens Evangelium, illud ipsum quadruplici exemplo ostendit. Quinam enim fuerunt, Petrus & Andreas? Quinam Jacobus & Johannes? Nonne Piscatores, qui profundè ad fundum deciderant: nihilominus eos Christus protractos ad Apostolatam vocavit, ut non amplius terrenæ piscaturæ intenti esse, sed homines capere debeant, ut Evangelium pluribus indicat.

Nos absque ulteriori præloquio ad *rationem* ejus progredientes, meditabimur ex eodem:

I. Ap-

- I. Ἀποστολῶν, sive *notitiam nostri*.  
 II. Χριστιανίας, sive *notitiam Christi*.

J.J.

*Exegesis.*

**E**Cce, ego mittam piscatores multos, dicit Dominus, & piscabuntur eos, Jer. 16. v. 16.

Hoc impletum est in præsentè Evangelio, in quo audimus, Servatorem nostrum quatuor piscatores unâ vice ad Apostolatam vocasse.

Ad *notitiam nostri* hic pervenimus, si spectemus:

I. *Piscatores retia projicientes*. Hæc enim eorum vocatio erat, cui fideliter vacabant. Unumquemque, sicut vocavit Deus, ita ambulet, 1. Cor. 7, 17. Neque oderis laboriosa opera, & rusticationem creatam ab altissimo, Sir. 7, 16. Sicut igitur Deus mandavit in sudore vultus vesci pane suo, Gen. 3, 19. Sic & hoc modo victum suum quærebant. Erant enim piscatores, intellige ex professo: Piscatura erat ars eorum, quam probè didicerant, quam probè callebant, & hæcenus tanquam ordinarium victus quærendi medium exercuerant: ideo non improbandi sunt, quod retia sua in mare projiciunt, & ita honestè alimoniam suam quærunt. Manus enim sedulorum divitias parat, Prov. 10. v. 4. qui verò dormitat, & conferit manus suas, ut dormiat, illi venit, quasi viator egestas, & pauperics quasi vir armatus Prov. 6, 11.

*Hic quilibet in examen sui descendat, n-  
 trum & ipse vocationi sue fideliter invigila-  
 verit, & rete suum ita laxaverit, sicut id  
 Deus in verbo suo præscripsit?*

Si probè rem examinamus, nos omnes

suo modo peccatores sumus, & rete nostrum habemus, quod Deus cuique, ut victum sibi illo quærat, concedidit, homo enim natus est ad laborem, ut aves ad volatum, Hiob. 5. v. 7.

Verbi ministri *spirituale rete* habent, quod est concio Evangelii, quæ expressè reti confertur, Matth. 13, 47. hoc ipso alere se tenentur, dignus enim est operarius mercede sua, Luc. 10, 7. Ideo ait Paulus: Si nos vobis spiritualia seminavimus: magnum est, si nos carnalia vestra metamus? 1. Cor. 9, 11.

Qui in magistratus officio constituti sunt, *rete habent bonarum legum & ordinationum*, quo subditos irretiunt & compescunt. Ideo quoque tributa illis præstanda sunt, ministri enim Dei sunt, in hoc ipsum servientes, Rom. 13, 6.

In communi vita quilibet *rete vocationis* suæ habet, & aut mercator est, aut opificium aliquod callet, unde si sustentare potest, sine his enim non ædificatur civitas, Sir. 38. vers. 37.

Si quilibet igitur suo loco diligens est, & in nomine Domini laxat rete suum, piscium multitudinem copiosam concludet, Luc. 5, 6. & tantum sibi comparabit, unde cum suis honestè vivere possit. Dominus enim facultatibus piorum benedicit, & cum ipsi tempus esse videtur, citò eas auget. Idè confide in Deo, & mane in loco tuo, facile enim est in oculis Dei subitò ditare pauperem, Sir. 11. v. 23. 24.

Sed & *piscatores nequam* inveniuntur, inter illos, qui absconderunt foveam retis sui, ad perdendum homines, Psal. 35. v. 7. hi illi sunt, qui omnia attrahunt hamo, contrahuntq; suo reti, & congregant ea in reti suo, Habac. 1. v. 15. 16.

*Verum hæc opes hæredem non juvant.* Hæc enim

enim est voluntas Dei, ne quis supergredia-  
tur, neque circumveniat in negotio fra-  
trem suum, 1. Theff. 4. v. 6. Et divitias, quas  
iniquus devoravit, evomet, & de ventre e-  
jus extrahet eas Deus, Hiob. 20. v. 15. Sap.  
1. v. 12.

Proinde quilibet in vocatione suâ hone-  
stè laboret: *Dii vendunt bona sua laboribus*,  
inquit Menander. Si quis autem non vult  
operari, non manducet, 2. Theff. 3, 10.

Sevit Isaac in terrâ Palæstinorum, & in-  
venit in ipso anno centuplum, Gen. 26. 12.  
quod si sementem non fecisset, non messuisset.  
Hinc Siracides: Qui operatur terram suam,  
in altabit acervum frugum, cap. 20, 30.

Anna Tobie uxore, ibat ad opus textri-  
num quotidie, & de labore manuum sua-  
rum sustentabat maritum, Tob. 2, 19.

Paulus nocte ac die operabatur, ne quem  
gravaret, 2. Theff. 3. v. 8.

Ne proinde otio indulgeamus, est enim  
*Doctor pravitatis & occasio peccati*, ut Basi-  
lius ait. *Sed semper facito aliquid operis, ut  
te Diabolus veniat occupatum*, ut Hierony-  
mus monet. At vide, ut quod bonum est,  
opereris, Eph. 4, 28. Bonorum enim labo-  
rum gloriosius est fructus, Sap. 3, 15. Ira verò  
& indignatio, tribulatio & angustia, in om-  
nem animam hominis operantis malum,  
Rom. 2. v. 9.

II. *Piscatores retia sarcientes*. Hoc ipso  
commendant nobis parsimoniam, ut & nos  
vestes laceratas & detritas non statim abji-  
ciamus, sed refarciamus. Nam ut tempus  
sciendendi, sic & consuendendi est, Eccles. 3. v. 7.  
Quinimò ut Claudianus ait:

-- Plus est servasse repertum

Quàm quæsisse novum.

Semper enim magnificè patriceq; amicare,  
proximus aditus est ad paupertatem, & qui  
spernit modica, paulatim decidet, Sir. 19, 1.

*Hic examines velim te, mi Christiane! u-  
trum & ipse cum discipulis hisce laceratum  
tuum rete resarseris. sive, quod idem est, quod  
Deus tibi largitus est, ut decet, comparseris?*

Hoc non infuper habendum est: *magnum*  
enim *vestigal parsimonia*, ut Cicero ait. Hinc  
Germani in proverbio habent, caligas vete-  
res & detritas, non abjiciendas, donec ac-  
ceperis novas.

*Imperator Augustus* vulgaribus vestibus  
amicus fuit, quas illi conjux ejus contexit  
& refarcivit.

*Agessilaus Lacedæmonum Rex*, adeo vilis  
habitu incessit, ut propterea Ægyptiis risu  
fuerit.

*Epaminondas*, præstantissimus ille The-  
banorum princeps, unicam saltem habuit,  
eamq; maculatam tunicam, si eam ad tin-  
ctorem vel sartorem misit, tantisper domi se  
continere coactus fuit.

*Phocion* inclitus Atheniensium prin-  
ceps, semper vulgaribus vestibus & calcea-  
mentis incessit, imò ut plurimum nudipes  
fuit, unde Proverbium: *Phocion calceatus est*.

Quod si igitur primarii hi viri probro si-  
bi non duxerunt, vestibus reparatis amiciri,  
eccur nos id puderet? præsertim, qui in sta-  
tu œconomico vivimus. Oeconomia enim  
multis indiget. Parvuli petunt panem,  
Thren. 4. v. 4. curare nos decet, quid man-  
ducare, quid bibere, aut quo operiri veli-  
mus. Matth. 6. v. 31.

Nemo ratione vestimentorum in laude  
versatur: quin magis commendatur, qui in  
*κατασολῆ κοσμίῳ* in habitu decenti incedit,  
1. Tim. 2, 9. quàm si quis supra conditionem  
suam purpurâ & bysso induatur, ad exem-  
plum Epalonis, Luc. 16, 19.

E contrario verò apprimè caveamus, ne  
*peccatorum retia sarciamus*, quod fit quan-  
do peccata nostra extenuamus & excusa-  
mus.

hoho

mas. Sicut hodie nihil vulgarius est, quam ut superbia pro munditie, avaritia pro parsimonia crapula & omnis generis nugæ, pro hilaritate venditentur. Hoc maximum peccatum est. Qui enim abscondit scelera sua, non dirigitur: qui autem confessus fuerit, & reliquerit ea, misericordiam consequetur, Prov. 28. v. 13.

III. *Piscatores omnia deserentes.* Relictis enim retibus, navibus & patre secuti sunt Christum. Hoc memorabile est. Equidem retia & naves relinquere non adeo magnum videtur: aut patrem relinquere, præsertim in senectute, ubi auxilio filiorum quam maxime indiget, id salvâ conscientia fieri vix potuisse, dixeris. Id enim nec Gentiles fecerunt, sed potius in extremis angustiis parentum curam gesserunt. Hinc Plauto: *Parentes negligere, nec Deus, nec hominis compos ulli consules.* Et Virgilius de Ænea memorat, quod patrem suum Anchisen è media flamma liberavit, & dorso bajulaverit, unde ipse ait:

Mene efferre pedem genitor, te posse relicto

Sperasti?

Sed quando Christum ejusq; Evangelium concernit, ut alterutrum eligendum, aut Christus deferendus & parentes amplectendi, hæc Regula Petri valet: Magis obedendum est Deo, quam hominibus, Act. 5. v. 29.

*Hic proba te, mi Christiane! an & ipse hoc facere velis, si persecutio, Dei permisso, tibi imminet?*

Quartum quidem præceptum meritò magni æstimatur ab omnibus piis Christianis, tamen, ut Chrysostomus limitat, *exceptis iis, quæ pietati officiant.* Qui enim amat patrem aut matrem plus, quam me, non est me dignus, ait Servator, Matth. 10. v. 37. Id

quod & in V. T. ita mandatum est, Deut. 33. vers. 9.

Idcirco maximam rationem conscientie habeamus, ne eam fauciamus: *Amandus est genitor, sed præferendus creator,* ait Augustinus. Hæc summa totius scripturæ est, & in primo & ultimo libro inculcatur. In Genesi enim velut primo scripturæ libro, exstat exemplum Abrahamæ, quem Deus egredi jussit de domo patris sui, in terram, quam ipsi monstraturus erat, Gen. 12. v. 1. & exiit, nesciens, quò iret, Hebr. 11. v. 8. In ultimo verò libro vox de cælo clamat: *Exite de illa populus meus,* Apoc. 18. v. 5.

Quando itaq; res in *aquilibrío versatur*, ut alteruter deferendus sit, ibi Jacobus & Johannes viam monstrarunt, quod melius sit Christum servare, & omnia relinquere, quam Christum relinquere, & omnia retinere, Matth. 19. v. 29.

Hieronymus ejusmodi simili id declarat: Miles, qui stipendia meretur, salvo militiæ sacramento patri suo in tentorio assidere potest, quando verò buccinâ signum datur, omnibus relictis, ducem suum sequitur, & seipsum in acie collocat.

Quando itaque juramentum nobis in mentem revocamus, quod Christo in baptismo præstitimus: vi ejus ipsum & verbum ejus palam profiteamur, contra verò Diabolo, & quod ei repugnat, renunciavimus, officii nostri est, id bona fide servare, adeò, ut si liberi nostri nos sollicitarent, aut mater nudatis uberibus nos obsecraret, ut fidem hanc falleremus, aut ipse pater in limine stratus, exitum nobis intercludere vellet, patrem transilire, & ita oculis clausis valedicere teneamur: *singulare enim pietatis genus est in hac re esse crudelem*, quâ in re Christus nobis suo ipsius exemplo prævit, dum

matri sollicitanti se, repulsam dedit, & his verbis ipsi se excusavit: An nescitis, quid in his, quæ patris mei sunt, oportet me esse, Luc. 2. v. 49.

In genere verò non patrem modo, sed & omnia terrena relinquere debemus, si veritas Evangelii in periculo versetur. Quid enim prodesset homini, &c. Matth. 16, 26.

Id fecit Julita nobili genere nata: cum enim urgeretur, ut aut fidem Christianam abnegaret, aut omnes opes suas relinqueret, ex tempore illa consilium capiens aiebat: *Valcat vita, pereat pecunia, famula Christi sum.*

Nos similiter affecti, non quæ super terram sunt, quæramus, sed quæ sursum sunt, Col. 3, 2. Qui hoc fecerit, optimam partem elegit, quæ non auferetur ab eo, Luc. 10, ult.

### De Secundo.

**D**igrediemur nunc ad alteram partem, *Ἐπισημειώσασθαι*, sive notitiam Christi contemplaturi. Hic nobis commendatur:

I. *Tanquam opificum amator.* Hic audimus, quod piscatores recipit, eosq; ad Apostolatam vocat. Quod profectò non fecisset, nisi in statu sibi probato, vixissent.

Sic etiam opifices ipse instruxit arte, quæ profitentur, quia omnium artifex est, Sap. 7. v. 21. sicut de Beseleel & Oholiab legitur, quod Deus eos impleverit spiritu sapientiæ & intelligentiæ & scientiæ in omni opere, ad excogitandum, quicquid fabrefieri potest ex auro, & argento, & ære; marmore & gemmis, Exod. 31, 3. De fabro dicit Deus: Ecce ego creavi fabrum, Esa. 54, 16.

Hinc scriptura variorum opificiorum & vitæ institutorum meminit, quibus sancti Patriarchæ operam navarunt. Abel fuit pastor ovium, & Cain agricola, Gen. 4, 2. Ju-

bal pater canentium citharâ & organo. Thubalkain cudens omne opus æris & ferri, Gen. 4, 21, 22. Nemrod venator, Gen. 10, 9. Ismael sagittarius, Gen. 21, 21. Esau gnarus vendandi & agricola, Gen. 25, 27.

Textorum & figulorum mentio injicitur, 1. Paral. 4, 21. Siracides architectorum, sculptorum, cælatorum, fabrorum ferrariorum honorificè meminit, c. 35, 26. & seqq.

Ipse Josephus pater Christi putativus faber fuit lignarius, Luc. 3, 23. & Christus ei adjutor fuit, unde propterea non modo filius fabri, Matth. 13 v. 55 sed & faber appellatur, Marc. 6. v. 3.

Hoc igitur Mechanicis & Opificibus magno solatio esse potest, primò ratione videlicet, quem sibi commodè parare possunt. Artem enim quævis alit terra, nec facile autorem suum perire sinit. Labores manuum tuarum manducabis; Beatus es, & bene tibi erit, Psal. 128. v. 2. Deinde ratione functionis, in quâ vivunt, quæ Deo pergrata est. Deus enim dona sua variè distribuit, quorum nos dispensatores sumus, 1. Petr. 4. v. 20. nec Deus personarum acceptor est, Act. 10. v. 34. nec cognoscit divitem coram paupere, opus enim manuum suarum sunt universi, Joh. 34, 19. In Apologia A. C. mentio fit sutoris Alexandrini, qui nihil aliud fecit, quàm quod opificio, orationi, & cultui divino invigilavit, & tamen Anachoretæ Antonio, qui duram vitam egit, longè prælatius est. Sic pîi Mechanici hoc solatio fruuntur, quod si in vocatione suâ seduli sint, & ante omnia Deo cultum suum præstent, quod Deo magis placeant, quàm Monachi & Moniales, in Ordine suo rigorosissimo, quo seipfos onerant. Mandatis enim hominum frustra Deus colitur, Matth. 15, 9. mundus autem est, cujus rectum est opus, Prov. 21. v. 8.

Qui-

Quilibet vero det operam, ut *quod utile est*, discat. Præstigiatores enim, saltatores, pugiles, funambuli, & ejus farinae homines, vocatione legitima destituuntur, ambulant enim *αἰνῶς* & curiose agunt, 2. Thess. 3. v. 11. ideo abstineamus ab iis, & potius quæ honesta sunt, exerceamus. Qui enim amat periculum, peribit in eo, Sir. 3. v. 27.

Videat quoque ut ita artem suam discat, ut gnarus illam cum fructu exercere possit. Magister enim facit unumquodque, qui autem locat stulto, locat illud superficialior, Prov. 26. v. 10.

Tertio caveat, ne vestigiis Alexandri ærarii insinat, de quo Paulus queritur, quod sibi multa mala ostenderit, 2. Tim. 4. v. 14. Sive Demetrii argentarii, qui ædes argenteas Dianæ fecit, & ita lucri causa idololatriam promovit Act. 19. v. 24. Hoc minime Deo placet. Qui enim non mecum est, contra me est, ait Servator, Luc. 11. v. 23.

II. *Tanquam parvulorum Magnificator.* Non sine causa memorat hic Evangelista, quid Andreæ, ejusque fratris Simonis Petri, nec non filiorum Zebedæi opus fuerit, antequam eos Christus in scholam suam, & ad Apostolatam vocaverit, nempe piscatores fuerunt, simplices & abjecti operarii, attamen res magnas gesserunt, Evangeliumque de Jesu Nazareno, tanto cum successu prædicarunt, ut portæ inferorum adversus illud non prævalere potuerint, Matt. 16. v. 18. Id opus Dei fuit, hinc Paulus: Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus, 2. Cor. 4. v. 7.

Si Christus nostro consilio usus fuisset, sine dubio ipsi consuluissemus, ut ex Collegio Phariseorum, aut Synedrio Hierosolymitano eruditione & autoritate præstantes sibi elegisset, & ad hoc opus adhibuisset: sed

& hic locum habet illud Prophetæ: Non cogitationes meæ, cogitationes vestræ, Es. 55.

Hoc ipso enim quod Christus abjectis piscatoribus ad Apostolatam usus est, sapientes hujus mundi confundere voluit, qui plerumque plus respiciunt externum splendorem, quam Spiritus Sancti dona, his ipsis miranda efficit, *sumit piscatorem, & convertit Imperatorem*, Augustino asserente, virtus enim ejus in infirmitate perficitur, 2. Cor. 12. 9.

Id semper in familiari usu habuit.

*Virga Moysi, lignum vile & inanime erat,* & tamen illa magna miracula patravit: divisit enim mare, ut Israelitis transitum præbuerit, Exod. 14. v. 21. tum & petram, ut egressa fuerint aquæ largissimæ, quo populus biberet & jumenta, Num. 20. v. 11.

Abjecta res videbatur sanguis agni patris, & tamen medium erat, quo primogenitura Israelitarum à percussore præservabatur, cum superliminare & utrumque postem eo aspersissent, Exod. 12. v. 23.

Spretissima videbatur *expeditio Gideonis*, quod ille viris trecentis Midianitis se opponere vellet, qui multis millibus instructi erant: ridicula armatura, quam contra illos ferebat: & tamen hoc modo victoriam reportavit, Jud. 7. v. 16. seqq.

Sic viles videbantur *buccinae Israelitarum* tempore Josuæ, & tamen clangore earundem muri civitatis Jericho subruti sunt, Joh. 6. v. 16.

Vilissima videbatur *aqua Jordani*, qui ipsa tamen Naeman postquam septies se lavit, à lepra liberatus est, 2. Reg. 5. v. 10.

Quid spectas in baptismo? quid in S. cœna? ibi, nil nisi aquam, hic nil nisi panem & vinum. Et tamen magna per illa Deus operatur, aqua in baptismo nos salvos facit,

1. Pet. 3. v. 22. in cena vero Christus cum pane & vino, corpus & sanguinem suum exhibet, ut remissionem peccatorum habeamus & cum eo aeternum vivamus, Joh. 6. v. 51. Sic quando adhuc hodie Deus vile nobis medium ostendit, quo juvari possumus, non id contemni debet, potens enim est facere superabundanter, quam petimus, aut intelligimus, Eph. 2. v. 20.

Imprimis vero Concionatores juniores non refragari debent, quando ad ministerium vocantur, sicut Moyses, Exod. 4. v. 10. & Jeremias, c. 1. v. 6. fecerunt, sed prompte obsequantur. Quem enim Deus mittit, idoneum quoque facit ministrum N. T. 2. Cor. 3. v. 6. Esa. 28. v. ult.

III. *Tanquam spiritualis piscatura fundator.* Propterea ait hic ad Petrum & Andreae: Venite post me, & faciam vos piscatores hominum. Hoc elegans simile est, quod S. Ministerio non incongrue applicari potest, quando spectamus:

1. *Pisces.* Quorum varia species sunt.

1. *Immania cete*, qui ingentem aquarum copiam evomunt, qua naves operiunt, tantoque rictu praediti sunt, ut hominem vivum deglutiant, Jon. 1. v. ult.

His depinguntur, tyranni & persecutores Ecclesiae, quorum vox est: Venite, & disperdamus eos, ne sint gens, & non memoretur nomen Israel ultra, Psal. 83, 5.

2. *Inveniuntur lupi voraces*, hi sunt avari, qui jungunt domum ad domum, & agrum agro copulant, Esa. 5. v. 8. ut sint viduae praeda eorum, Esa. 10. v. 2.

3. *Peculiaris piscis est*, nomine *polypus*, qui in omnes formas se mutare, & colorem loci, ubi est, induere potest. Hi assentatores sunt, quorum symbolum est, ait quis, ajo

negat, nego. Cum sanctis sancti, cum perverlis perverli sunt, Psal. 18, 26.

4. *In mari piscis Torpedo* invenitur, qui piscatorum membra adeo enervat, ut piscaturam intermittere cogantur. Per hos pravorum sodalium significatur. Ab impiis enim egreditur impietas, 1. Sam. 24, 14. Sir. 13, v. 1.

5. *Lubrici piscis* sunt ut *anguilla*, qui prehensi per manus elabuntur: hi voluptuarii sunt, qui terrena sapiunt, Phil. 3. v. 16. ut dives epulo, Luc. 16, v. 19. Psal. 73, v. 18.

6. *Nonnulli capi, ex retibus resiliunt.* Hi Apostatae sunt, qui ad tempus credunt, & temptationis deficient, Luc. 8. v. 23. 2. Pet. 2. v. 20. Hos abominatur Deus. Ideo Judaeis nullis piscibus vesci concessit, nisi haberent pinnulas & squamas, Levit. 11. v. 9.

*Quaedam mystice intelligendum est.*

*Squamae sunt imago fidei.* Quemadmodum enim pisces squamis se tumentur: sic & fides optimum nostrum propugnaculum est, & victoria quae mundum vincit, 1. Joh. 5. v. 4. *Pinna* vero significat *orationem & spem*. Veluti enim pisces pinnis se in superiora elevat: sic & oratio nostra adsurgit ad caelum, Sir. 35. v. 21. Idem & spes facit, quae non confundit, Rom. 5. v. 4. Thren. 3. v. 26.

2. *Piscatores*, qui variis instrumentis, utpote hamo, nassis, sagena & reticulis utuntur, ut & cibo conveniente, quo pisces inescantur. Sic & Ministri Ecclesiae geminum rete adhibent, legem nimirum, & Evangelium. Lege terrent conscientias, Evangelio vero rursus alliciunt, quos teruerunt, & ita lac & cibum solidum ministrant, Hebr. 5. v. 12. Quatenus auditorum saluti inservire posse, deprehendunt, unde Paulus: Omnibus omnia factus

factus sum, ut omnino aliquos facerem salvos, 1. Cor. 9. v. 22.

Piscatores habent *piscinas suas*, in quibus captos tamdiu servant, & cibant, dum ad usum adhibeantur. Sic & præcones & verbi ministri spiritualem suam piscinam habent. quæ est Ecclesia, in quam statim per baptismum suscipimur, & conveniente animæ cibo affatim reficimur, dum nos Christus è terrena hac militantis Ecclesiæ piscina in cœlestem Hierusolymam introducat.

Quemadmodum enim *piscines boni magni estimantur*, & non facile in casis rusticorum: sed in magnatum mensis apponuntur, & comeduntur: mali vero abjiciuntur, Matth. 13. v. 48. Sic in consummatione sæculi exhibunt angeli, & separabunt malos

de medio justorum pisces malos abjicient, ut abominatio sint omni carni, Esa. 66. v. ult. Bonos vero servabunt ad cœnam magnam ubi cum Abraham, Isaac & Jacob in regno cœlorum accubemus, Matth. 8, 11. Tum apparebit quid sit, inter pisces bonos & malos, inter fervientem Deo, & non fervientem ei. Malach. 3. vers. ult. Impios enim Dominus à se ablegabit in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis ejus: Justos vero introducet in vitam æternam, Matth. 25. v. ult. ubi abundantia gaudiorum cum vultu ejus, & delectationes in dextera ejus usque in æternum, Psal. 16. v. ult.

Largiatur id nobis Deus triunus per Christum Servatorem nostrum Amen.

## In die festo B. Thomæ Apostoli.

*Evangelium, Ioh. 20. v. 24. -- 29.*

### EXORDIUM.

**C**Um Naas Ammonites castra metatus esset, adversus oppidum Israeliticum, quod vocatur Jabes-Galaad: cives ejusdem civitatis illi se dedit & servire voluerunt. Et respondit ad eos Naas Ammonites: In hoc feriam vobiscum fœdus, ut *etiam omnium vestrum oculos dextros*, ponamque hoc opprobrium in universo Israel. Miserunt ergo cives ad Regem Saul, ut succurreret sibi. Qui convocato populo Israelitico, ad internecionem percussit Ammonitas; reliqui autem

dispersi sunt ita, ut non relinquerentur in eis duo pariter, 1. Sam. 11. v. 1. seqq.

*Hæc mysticè interpretabimur.*

Creavit Deus hominem ad imaginem suam, & *duobus oculis* ornavit, quibus mundum contemplare potest: sed & *duos internos oculos* eidem dedit, nempe *oculum rationis*, & *oculum fidei*: altero, quæ ad hanc terrenam vitam: altero, quæ ad æternam vitam spectant, conspiciat. Oculus rationis in divinis claudendus: oculus vero fidei aperiendus est, & Christum contueri, ejusque bene-